



22038  
kat.komp.  
III Mag. St. Dr. P

nes.  
*Christina Constantia.*

Trotteri Masthias Casinisi. Novus Archimedes.  
Amor ad imitationem sociab. in coelis  
Pegaso cum Aquario.

PANEG. et VITAE  
Polon. Fol.  
A. 1580.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0003024

# NOVVS ARCHIMEDES A M O R

Ad imitationem Sociati in Cœlis

PEGASI CVM A Q V A R I O,

WIELOPOLSCIANVM SONIPEDEM

*Cum Gentilitijs*

COMITVM IN LIPTOW ET ORAWA FLUVIIS

pulchro artificio iungens.

*Circa Nuptialem Pompam.*

*JLLVSTRISSIMI DOMINI,*

D. JOANNIS

DE PIESKOWA SKAŁA

WIELOPOLSKI.

*Regni Dapiferi, Biecensis, Bochenis, &c. &c.*

CAPITANEI.

*Ac JLLVSTRISSIMAE*

CHRISTINAE CONSTANTIAE

COMITISSÆ IN LIPTOW ET ORAWA.

KOMOROWSKA.

*Ad Fortunatum tantorum Luminum nexum*

PRAEVISVS.

*Et per Optimæ Spei Puerum*

MATTHIAM CASIMIRVM TRETERVM,

Communi Patriæ Solatio

PRAESENTATVS.


Anno Domini, M. DC. LXV. Die 4. Ianuarij.



CRACOVIAE,

In Officina apud Heredes Stanislai Bertut: Anno Dni, 1665.

I N S T E M M A I L L U S T R I S S I M O R V M S P O N S O R V M .



Semper Equos Currusq; suos Sol æquore tingit  
Et profert medijs Munera Lucis Aquis  
Sic TRINO Sociatus EQYVS WIELOPOLSCIUS AMNI  
LVMEN ab adjuncto FLVMINE dat Patriæ.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINUM  
D. IOANNEM  
*De Pieškowa Skátá*  
WIELOPOLSKI,  
Regni Dapiferum, Bięcensem, Bochnensem &c.  
CAPITANEVM.

P R A E F A T I O.



Omninis lœtitiae sensus, qui ad Festinos Hymæni Tui plausus ILLVSTRISSIME DOMINE uniuersam Sarmatiam promiscuâ hilaritate demulxit, meas quoq; cu-  
nas attigit; Et ut toti constaret  
Orbi, cuncta TUA ac ILLVSTRISSIMÆ SPONSÆ  
Decora, quæ uno Amoris catenantur fœdere, solitum  
mundi supergredi ordinem, Infantiam meam præter  
Naturæ Ordinem fecit esse disertam. Quidni enim  
compeditam intra mutos silentij nexus linguam, in lau-  
des TVAS resoluerem; qui campos pæne ipsos Poloniæ  
sue cognomines, ad tam Fortunati Connubij aspe-  
ctum, resolutos in vocalis lœtitiae pensa contueor:  
Quidni astricta etatis uitio ora, ad præconia ILLV-  
STRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ tenderem; qui iam  
inde à primo in terras exortu, suauissimis Inclytæ Do-  
mus TVÆ Muneribus, felicius quam olim Plato Apum  
fauis, aut Midas stipendiarijs formicarum gra-  
nis, eadem imbuta fero. Eminuit ILLVSTRISSIMI  
PARENTIS TVI erga me Fauor, qui euolutum in  
Orbem & hunc mortalitatis puluerem, illâ manu quâ

Regni momenta librat, Cælo & Immortalitati initavit.  
Dum ad vitalem Regenerantis undæ Fontem, meæ sa-  
lutis Fideiussor, & Maiore titulo Patronus extitit,  
quam Patrinus. Exiū tunc suffragante ILLVSTRIS-  
SIMI PARENTIS TVI Manu, inducta à communi  
bominum hoste, peccati vincula; quam æquum est ut  
inter Coniugales FILIALIS DEXTRÆ nexus, exuam  
Naturæ ligamina: & infantili balbutie Gaudijs En-  
comiisq; TVIS adstrepam. Nec verò deprimi putet  
ILLVSTRISSIMA DOMINATIO TVA Laudum sua-  
rum molem, quod ad rudes unius Infantis voces, ar-  
etata restringatur; nemo in tanta Gloriæ TVÆ Ge-  
storumq; abundantia, alium se agnosceret quam infantem;  
& quantamcunque Tullij vel Demosthenis facundiam,  
hic in puerilem degenerare balbutiem, ac siccato diser-  
ti excursus torrente, pressâ nimium venâ labi mira-  
bitur. Certè si alio nomine fauentes ILLVSTRISSE-  
MÆ DOMINATIONIS TVÆ oculos, Puerilis suada  
non merebitur; saltem cognatus Pueris Candor ean-  
dem venustare poterit, quem simplex & nullo adhuc  
foco aut simulatione tinctus præfert Genius. Maie-  
statem Eloquentiae, assurgentemq; per ingentia Merito-  
rum ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ fa-  
stigia cothurnum, nemo hic requirat; ubi sono simpli-  
ci Infantilis Gratitudo, sibi canit, & Festiuæ nuptia-  
rum iucunditati. Cæterum qui nunc supra vires in  
TVIS Laudibus resonare audeo, posteaquam maior  
etas copiam dederit, in TVIS obsequijs supra vires  
attentaturum me obligo.

Casimiræ ad Cracouam 1664. 19. Decembri.

Illustissime Dominationis TVæ

Cliens

MATTHIAS CASIMIRVS TRETERVS.

# EPITHALAMICA ORATIO.

Ex Felici Connubio

Felicitatem Præfigiens.



Æpius mihi per Cœlestium Orbium  
spectacula erranti, ac in illa Æthere-  
orum Ignium contemplandâ serie al-  
tius defixo, admirationem exciuit  
præposterus veterum sublimioris sapi-  
entia Mystarum Ordo, quēis magis  
libuit, tantam Cœli pulchritudinem  
ad terrestris speciei habitum effingere,  
& terrenis diuersorum Animalium vultibus induere, quam  
è Cœlo petitas rerum formas, luteæ huic moli adaptare.  
Quorsum enim ab infimo Orbe effigies trahat Cœlum,  
quod eiusdem vicissitudines suo complectitur & voluit  
Orbe? Quorsum accersitas è terris non modo Belluarum,  
sed Monstrorum etiam ostentet Imagines, quod longè  
nobiliore Artificis Dei excultum dote, ipsius etiam mate-  
riæ, digniorem venditat portionem? Itane Licentiosa  
Antiquitas, quemadmodum Superos ac Numina, homi-  
num gestu procudit & affectu, Sic Numinum etiam Se-  
dem ac Sidera, in deriuatas à terrâ facies, flectere Ius  
falsque habuit? vt quæ reptantem Cretæ per cunas louem,  
excussam obstetricantis Asciæ iactu Pallada, Despumatam  
æstu pelagi Venerem, cæterosque Deastros indignâ ple-  
rumque fusos vulgavit origine, Cœlum quoque & purissi-  
mos illos ætheris tractus, nimis audaci terrestrium forma-  
rum iappressione taminaret. Verum detur non modo  
venia, sed tacita insuper reuerentia, erudito veteris sapien-  
tiæ Senio; quod gnarum terrena cuncta illo impetu agi, subiectas  
que Mundi huius Sortes non nisi Siderum iactu duci ac  
sinuari;

A

itauit:  
eæ sa-  
exitit,  
TRIS-  
nnuni  
est vi  
exuam  
s En-  
putet  
m sua-  
es, ar-  
Ge-  
ntem;  
ndiam,  
difer-  
mira-  
RIRSI-  
suada  
ean-  
adhus  
Mare-  
terito-  
& fa-  
simpli-  
uptia-  
res in  
maior  
vires  
T  
nis Tuæ  
E R V S.

sinuari; meritò cum tot Effigiebus in Ius Cœli transcripsit Terram, tanquam eo ipso quod Cœlo mereret vimque eius combiberet, Cœlum promeritam. Scitum reconditi oris Mineruæ Arcanum est, eo inter se nexus conspirare Vniuersi molem, vt altioris Ordinis membra minorum virtutibus tumeant, & si quæ Decora, viliorem Mundi venustant Compagem, ea multò gratiore comptu, pulchritudinem suam in Superioribus vibrent: Ita Angelicos Spiritus ( mortali attestante Angelo D. Thomâ. ) Hierarchiæ suæ Eminentia, in perfectionis eminentiam attollit, & cum Naturæ exceilentioris dignitate, Vires simul ac Priuilegia, infra positorum fæcundâ auxesi aceruat: Ita Terræ quoque Dotes Cœlo nobilius hærent, ac in illo Siderum repositæ Armatio, eatenus asseruantur, vt per larga virtutum Defluuia, Terris redonentur. Atque hinc est quod Terrena hæc Moles, à Cœli nutu pendula, vires suas eidem debet; quia nimirum, Quidquid Molitor Vniuersi D E V S ornamenti Terris inseuit, Id omne Cœlum amico fotu explicat; & cum Eminentius perfectio-nes Terræ complectatur, easdem felici irriguo complet ac maturat. Sed enim fuerit hactenus Cœli Gloria, Terræ Prærogatiwas ( locuplete licet refundantur augmento ) rapuisse; Fuerit Gloria totius Olympi augusta propylæa, ambitiosâ terrestrium Imaginum ostentatione polisse: Contrarium hodie Amoris artificium est, quod Cœlos Terris tansdidit, & Fortunatas Magnorum Siderum CONIVNC-  
TIONES, nouo sed optato commento, intra POLONÆ SPHÆRÆ Polos digessit. En Ales ille PEGASVS, Qui volucribus per Cœlum plaudens pennis, hactenus ad Perennia AQVARII FLVMINA, Martiam comebat iubam, SARMATICIS hodie inerrans Campis, Feliciores inuenit Lymphas; dum in Gentilitijs ILLVSTRISSIMI IOANNIS de PIeskowa SKALA WIELOPOLSKI REGNI DAPIFE-  
RI elatus Insignibus, Coniugali passu ad TERGEMINVM COMITVM in LIPTOW & ORAWA FLVMEN properauit. O nimium sagax hic saltem non cæci Amoris Inge-nium! quod Magnam sui portionem Cœlo detrahere, & Nobilissima hæc Signa, Votuo nexu deuincta, SAR-MATICO HEMISPÆRIO illigare eualuit. Næ hict de-inceps

scripsit  
umque  
conditi  
pirare  
horum  
di ve-  
lulchri-  
gelicos  
e Hie-  
tollit,  
aul ac  
Ita  
llo Si-  
r lar-  
e hinc  
a, vi-  
dolitor  
e Cœ-  
festio-  
let ac  
Terræ  
ra-  
ylæa,  
Con-  
Terris  
NCTI-  
ONÆ  
Qui  
d Pe-  
ubam,  
Lym-  
s de  
PIFE-  
NVM  
opera-  
Inge-  
here,  
SAR-  
et de-  
inceps  
inceptus attonitus Syracusani senis inuento Orbis, tanta  
Cælorum spatia exiguo in Orbe felici temeritate mentien-  
tis; Nobilius Archimedem Amor egit, dum ad Æmulam  
Cæli Inuidiam potissima eiusdem Astra PEGASVM nempe,  
ac TERRA voluentem FLUMINA AQVARIVM sub vnâ  
æterni foederis Ecliptica Terris immisit. Date plausum O  
quicunque Festiis hisce Amoris interestis Circensibus  
Spectatores; WIELOPOLSCIANVS SONIPES Metam Vo-  
torum attigit, dum Jugali impetu ad Inlytas KOMO-  
ROVIORVM actus VNDAS, Spes iam Solatiaque sua in  
Optatis Tantorum Fluminum Ripis depositus. At Nos  
qui Fortunatas has Siderationes ORBE POLONO coale-  
scere sentimus, quænam inde Vota decerpere? quas  
impressions, fatidicâ mente Diuinare debeamus? Equi-  
dem Vtrosque PEGASI & AQVARII Ortus, benigno  
prodire Sidere, multaque terris donorum missilia insperge-  
re asseruit, Magnus ille Cœlestium Interpres MANILI-  
VS, in Augusti Cæsaris amicitiam, astrorum peritiâ in-  
fertus; dum nascentem PEGASVM Martium robur subie-  
ctis aspirare, AQVARIVM verò, in Virtus speciem ani-  
mos componere, Phæbo dictante ad eiusdem plectra ceci-  
nit: De PEGASO quidem inquiens. cum.

Signatum Terræ lumen fulgebit, & Orbi  
Aerius nascetur Equus cæloque volabit,  
Velocesq; dabit sub tali tempore partus.  
Hic glomerabit Equo Gyros, dorsoque superbus:  
Ardua Bella geret, Rector cum milite misus.

### De Aquario Verò.

Quod si quem Sanctumq; Velis Castumq; Probumq;  
Hic tibi nascetur cum Primus Aquarius exit.

ET quid non iam certâ spe occupes SARMATIA?  
Quæ Nouum hunc Patriorum Luminum Nexum, ad Cœ-  
li normam compositum, Victoriosi Martis, & certæ Sancti-  
tatis Prænuntium simul ac Vadem tenes? Attolle ses-  
sum diuturno Malorum pondere caput, & asperatas  
hactenus tristibus sulcis genas, sereno Vigore exporrigi:  
Amica Tibi ad Pronubas faces, æterno Amoris fædere  
socians.

sociantur Astra, & longam Triumphalis Sanctæq; Prolis pompam, illo ipso, conspirantium in Amoris leges splendorum, depingunt concursu. Eam ut plenius, qui quis ex hac Felicis Connubij, quam MANILIUS quondam ex Cœli legat facie, Sistam non dubium Horoscopantis Fortunæ Systema, ad Tantorum Siderum CONIUNCTIONEM notatum; Cui Vos non tam oculos quæso quam laxatos in lætitiam Animos aduertite, & nascentis communi Regno Prosperitatis Vestigia, in hoc quæstū Architectus Amor combinat Magnorum Familiarum Vinculo, admiratione pariter adorationeq; excipite.



Errarum Vices pleriq; ijs, quæ supremo Ioui cum Tabulis adesse creduntur Fatis, incisasq; Æterno Adamanti omnium leges, ac reuolutiones exhibent, Alij Cælo & his quas supernus ille Circulus describit metis imputant & adscribunt: Vnde in contraria scissi conatus; Prioribus quidem cum omnia Fato permittunt, nec vlla arte perrumpi destinatum rerum Ordinem putant, in Fatalem neglectum segni torpore resolutis; Hisce verò qui in Cœli velut Codice Mundi inferioris seriem descriptam volunt, latereq; ibidem Origines & Formas omnium vulgant, ad noxiā Curiositatem, inconsulto præsciendi desiderio elatis. Cæterum & Fatorum tenor, non suopte fluxu, sed Numinis quod Fatis legem ponit, actus arbitrio, deflexo ad inferiorum consortia, Causasq; secundas rigore pertexitur; Et Cœli impetus, ita terrena, circumeundo rotat, vt latentes duntaxat rerum ignicullos excitet, primaq; lineamenta, ac rudes gerendorum notas designet, non summam Operis sibi vendicet vel absoluat. Optimè sanè proprium Mundiq; statum aptabit, qui inter Fati ac Cœli Orbēs libratus, nec eorum quæ Numen æternâ mersit caligine Decretorum præfractè tenax Scrutator, nec Cœlestium, quæ occulto Mortalia raptant Volumine, nimium refugis aut temptor, Fatis sedulam manum, Cœlis verò sagacem oculum accommodat:

modarit: Tunc enim Sidera optatos euentus fortunato parturiunt, quando obstetricantem hominum Dextram, Fatorum Destinatis, suis influxibus adesse sentiunt. Et priuata quidem Fortuna, è priuata cuiusq; prodiens Officinā, sicut humanam industriam seu vecordiam, prospero beat partu, vel castigat abortu, Ita prouentum penuriamq; sui, ijsdem Indicijs è priuata nempe deducit chiromantiā; At enim Publica Regnorum Salus, quoniam plures respicit & consequitur Manus, nec aliter Purpuratis Regnantium in Fascijs educatur, nisi baulis Magnorum Procerum dextris foueatur; idcirco Omina illius non minus ex Inlytarum Familiarum, quam siderum tabulis ac lineis promenda veniunt. Frustra quispiam explorandis Imperiorum intentus Arcanis, abditos Cælorum sollicitet recessus, aut cognatum singulis Regionibus prætentet genium; Ut Imperiorum Casus aut Exitus partim ex insito gentibus Spiritu ac impetu, velut ex arteriæ pulsu vestiget, partim ex Genethliaco Siderum afflatu, superstitione diuinatione decerpatur: Compendio ad noscendas Regnorum vices ducimur, si quænam Manus eorum arbitretur sortes spectamus. Profecto vulgare nil exit, quod Iovē Sati versant Aēaci; & certiores Prænestinis sortibus ducuntur Calculi, qui ad suffragia Regnorum & Regnantium ex Nobilium Familiarum ducuntur vñā. Felix merito suo Respublica! pro cuius commodis non tam Aether dispositis per cohortes supernorum ignium militat excubijs, quam domestica sidera, & vernaculi splendores, Centoculum induit Argum, vigili obtutu in statione consistunt. Felix! quæ magis ad viros & animos, quam opes copiasq; attenta, fertilitatem suam non soli & glebae sed generosae stirpis fructibus metitur; Maioremq; computat Censum, quem Nobilis Heroum scaturigo, indefessā inlyti sanguinis fundit vñā, quam eum quem turgidi Auro fluuij, restagnantesq; diuite sabulo voluunt aliuei. Aestuet vt lubet Zopyri desiderio, magis in sua ardescens lucra Darius; hæreat in Ephestione, amore fascinatus Alexander: Optet in Amicum Damonis & Pythiæ transscribi censum siculorum Tyrannus Dyonisius; Priuata illa ex Regnantium magis, quam Regnorum vñū concepta vota sunt,

ad lucri vel cæci affectus, non publici commodi libel  
lam exacta; Quisquis æternitatem Regnis & Rēbuspub: moli  
tur aut vouet, in Heroum sanguine eandem plantet; cer  
tus non alias Germen hoc in vberes prosperitatis fru  
ctus erupturum, nisi ab illo rore vigorem mutuetur.  
Quantum profuit Romæ Fabios genuisse, per mortes &  
fusum sanguinem in vitam Patriæ sylvescentes? nœue  
Roma periret, ter centum vnâ die perire ausos? Quan  
tum profuit Decios Patrem & Filium habuisse dicam fe  
licius an amisisse? quorum vterque inclinatas & nutan  
tes, res aciesque Romanas, deuoto pro communi salute  
capite sustinuit, & quasi Roma stare nisi cadentibus De  
ciis non posset, in fatum ac hæreditariam mortem vltro  
irruit. Quid memorem Scipiones, Fatalia Vrbi Nomi  
na, ad fulciendam eiusdem integritatem, per Æmularum,  
Carthaginis ac Numantiæ Vrbium, immo Regnorum rui  
nas nata? ô quoties Caput illud Orbis, vltimo iam ad  
motum casui, terras ferali pondere adflxisset, nisi in hoc  
Scipionum fulcrum inclinasset! Hæ sunt bases, quibus  
Magnum Imperij, in illâ rotantis Fortunæ vertigine, ni  
titur, & à præcipitio leuatur corpus: Hæc ex Inclytis  
Ciuium pectoribus ducta Mænia, quorum incinctu, secu  
ra perennat Sparta; Hi Poli & Cardines, qui Regno  
rum Orbes, næ quo Casuum deerrent impulsu, intra cert  
as librant ac defigunt Periodos. Huc animos & vota  
ô quicunque gentium Bona vago per aera obtutu scruta  
mini, & Imperiorum Harmoniam ad Cœlorum nutus  
scrupulosâ temperie dispensatis; Patent aliæ Vestigandis  
in commune solatijs Sphæræ, illæ nimirum, quas reuolut  
us per Ætates ac Virtutes, Heroum circumit & signat  
sanguis. Hic nouus sese, non belluarum sed Virorum fe  
rax aperit Zodiacus; Hic per diuersos Prosapiarum Cy  
culos ac Diferentes, in vnam aliquam delati Domum  
Planetæ, miras pariunt conuersiones, & quot generosæ  
stirpis decora, tot propitia Terris euoluunt Astra. Quan  
tos hodie & quam beatos Sarmatiæ accedit ignes, con  
spirans in Vnam Connubij Fortunam, WIELOPOLSCIO  
RVM ac COMITVM IN LIPTOW & ORAWA Pulchri  
tudo? Quam bono Felicitatis auctoramento Spes Publi  
cas deli

cas delinit sociata tantarum Prosapiarum Virtus? & ijsdem  
manibus quas perennis Sacramento admouet Amoris, Bo-  
na Publica stipulatur; eodem Vinculo, quod amantium  
inserit cordibus, Fortunam refugam in Communis Patriæ  
fauorem, captiuat ac trahit. Excurrat iam meritò per  
amplissimas Spes, vel solà WIELOPOLSCIORVM Merito-  
rum memoriā diducta Patria, quæ illo Eyo prouehe-  
nte, culmen Gloriæ & Felicitatis toties tenuit. Quocun-  
que Igniti Solis lugales amicum diem per extremi Orbis  
limites circumferunt, Gentilitius, WIELOPOLSCIORVM  
SONIPES Generosa illuc passu in Famam euasit, suumq;  
ac Polonum Nomen æquato ad Solis vias cursu, Orbi  
transmisit. Sacrum proinde illum optimo Iure Sarma-  
tia, non modo Operum vacatione & campestri libertate  
donauit; Sed pæne ad Æmulam Israeliticorum Principum  
contentionem, qui Phæbi Quadrigas templis intulerunt,  
tametsi non Aris & Hostijs, Trophæis tamen & Monu-  
mentis coluit. Subsannet vt lubet aliquis Caligulam A.  
more Incitati Equi furentem; cui auro argentoque tu-  
mentia præsepio, cui Aulam & Ministrorum pompam,  
Consulatum quoque & Summos Vrbis ac Orbis fasces,  
indignâ designatione decreuerit, nescio an non rectius à  
Belluino Principe in belluam, velocitatis saltem be-  
neficio commendatam transferendos? Succenseat  
Alexandro Bucephali sui fatis pæne immortuo, qui  
insanâ profusione Parentalia tot talentis empta, Mo-  
numentum opere sumptuque visendum, Vrbem deniq;  
nomen amissi retenturam, omnium quidem expeditio-  
num socio, humana tamen decora non merito, con-  
secrârit: Posteaquam ad Inclytum & tot iam sacerulis  
per immensa Famæ Spatia Volitantem WIELOPOL-  
SCIORVM SONIPEDEM deflexerit, vltro posito super-  
cilio non phaleras tantum & leues bullas, sed Titu-  
los ac Insignia eidem decernet; nimirum hoc quoq;  
Munus Diuinâ palladis arte constitit, ad salutem Pa-  
triæ, tametsi plerumq; non sine aduersi Ilij exitijs na-  
tum: Hinc Aiaces illi Martem spirantes, hinc cauti  
Vlisses, qui Ignibus per hostilia sparsis, Patriam velut  
Salamandram nutriren prorupere. Quorsum Veteres  
oratorio

oratorio impetu sequar flamas, vel ex mortali WIELO-  
POLSCIORVM cinere, nimis in gloriam ardescentes?  
Euerberat satis oculos recens illa alibi decennijs petita,  
hic in Poloniâ biennio expugnata Suecorum Troia, quam  
æternis confisam niubus, Vis WIELOPOLSCIANO in-  
uecta Ego ardere posse monstrauit; dum ILLV-  
STRISSIMO IOANNE de PIESKOWA SKAŁA WIE-  
LOPOLSKI CASTELLANO WOYNICENSI magnorum  
Consiliorum Mediastino & Administro, Geminas Aquilas ar-  
mis & animis interim concolores Fioniæ intulit; & Pi-  
gram Arcton, nimium suo Polo securam, iactis ubiq;  
flammis & incendijs, tunc demum Vndas ac Maria quibus  
conderetur, circumspicere edocuit. Insultabat eo  
tempore deceptæ SARMATIÆ SVECVS ad hostilia om-  
nia PROTECTORIS titulo intectus & intentus; feliciq;  
apud credulos & Aquilæ suæ candorem referentes POLO-  
NOS dolo, vulcania retia, ac ipsâ subtilitate sensum effu-  
gientes nexus tendebat, quëis Martem POLONVM, atq;  
illam tot Procis petitam Venerem, LIBERTATEM nempe  
POLONAM laquearet. Nulli pñne domi Lynces, qui  
Sagacis Consilij Vi, abstrusos fallacis tutelæ ostentatione  
laqueos penetrare; nulli Alexandri qui coeuntes iam in-  
nodum Gordium pedicas gladio dissoluere valerent. Se-  
curi omnes candore in errorem descidente, non modo  
remediorum usum, sed malorum suorum sensum, velut  
occultâ medicati potionē depulerant; eò magis miserandi,  
quod ultimo admoti agoni, miserias impendentes  
ignorare sustinerent, & Natiui Candoris simplicitate illu-  
si, atrum ipsimet supremis suis calculum adderent. Vi-  
dit tamen Sinonia's artes, & obuia statim dolis præsidia  
prouidit ILLVSTRISSIMVS CASTELLANVS VOYNICEN-  
SIS; qui vel Primus vel inter Primos fascinari præstigijs  
illis minimè passus, Mutatos Suecorum clypeos, Dana-  
nique Insignia male aptata & hostilibus animis cohærentia  
agnouit; ac statim ad labentis Patriæ Salutem conuersus, non  
modo grande momentum reuocandis Legionibus, quæ iam PO-  
LONAS AQVILAS LEONI SVETICO submiserant attulit:  
sed nouos insuper Exercitus, sociandi contra communem  
hostem belli, ad ROMANVM IMPERATOREM  
adhibi-

adhibitus Sequester, mirâ dexteritate coegit; Atque ita  
superfusis SVECIAE, SARMATICIS Teutonicisque Tur-  
mis & Armis, in veras clades simulatum nondum pu-  
pillæ POLONIE TUTOREM compulit. Quam benè  
non modo Polonum sed Mundi totius (quod vastâ  
ambitione coquebas) Dominium spe inuadere potuisses  
CAROLE GUSTAVE? si quemadmodum olim Darium  
Persam suus, sic te inter vota ac molimina æstuantem,  
WIELOPOLSCIANVS SONIPES pronâ ad Orientem For-  
tunæ TUX Solem conuersione ac hinnitu, Regem salu-  
tare, sceptrisque admouere voluisset: Sed enim potissi-  
ma hæc Generosissimi huius EQUI gloria est, quod  
campi ac Libertatis retinens, nonnisi eos sub quorum  
Vmbrâ creuit IULIOS aut ALEXANDROS ferat, ac  
hodie etiam excussa alienæ manus freна Armis suis  
ostentet ac præferat. TIBI SERENISSIME IOANNES  
CASIMIRE Vni tam nobilis obsequij seruabatur Gloria,  
vt Spes TVAS (plerisque iam in deuia tendentibus)  
in WIELOPOLSCIANVM Nomen inclinares, & repetendi  
Regni consilia illo EQUO auspice ordireris. Dyonisium  
nondum Siciliæ sceptris tumentem refert Plinius, fatis  
maturè ad Imperium proladentibus, futuri Regni omnia  
ab Equi fidelitate traxisse; quem tenacis limi vlgine  
haustum, cum pedestre deinceps viator desereret, ecce  
velut tædio abstracti Domini victum, rupisse lutea quæis  
tenebatur vincula, fideliq; comitatu prosequi abeuntem videt;  
eundem submissâ iubâ ad portandum nobilem sarcinam accli-  
natum, dum inscendere parat, circumfuso repente A-  
pum examine, improuisam adhuc sibi Maiestatem,  
nouo cingente sahelliio offerri miratur, & mox Ga-  
leotis euentum interpretantibus, cessuram audit. Felicem  
Equo suo Dyonisium, qui obsequij Dominiq; adeo  
peruicax, altioris Dominij præfigia nec cogitanti tu-  
lit; nisi deinde versâ in Tyrannidem potestate, pæni-  
tendum vel ipsi quod designauerat animali sceptrum  
exercuisse; Alia apud Nos Nomina, alijs etiam moribus,  
pari licet sortis euentu, in felicis Regni auspicia coi-  
re; dum exactus Throno suo SERENISSIMVS IOAN-  
NES CASIMIRVS, inuenit WIELOPOLSCIANVM Soni-  
pedem,

pēdem, quem nullus SVETICÆ paludis viscus intercipere, nulla diuitis & toties oblati metalli tenacitas innectere potuit. Eo humeros supponente ad Regnum & Diadema redux, quis nescit quam obuijs omnium velut Apum Regem suum circumplexentium exceptus agminibus, destinatum fatis abscessum Triumphali regressu pensarit? Apes profecto fuerunt, redeentes ad obsequia desertæ nuper MAIESTATIS, EXERCITVS POLONI PHALANGES, quæ aliquantum per glaciata SVEΤICO gelu auia palabundæ, ad dulcem tandem REGALIS MANIPULI Juncum ILLVSTRISSIMO CASTELLANO WOYNICENSI moderante, insitâ Reuerentiâ trahente redière, & in Callidum deinceps Elusorem, acrioribus aculeis pugnauère. Nemo abhinc miretur, si MAIESTAS REGIA potissimas regnandi curas cum ILLVSTRISSIMO CASTELLANO partita, maxima consilia illius lance librari, illius arbitrio sidere, si amplissimi Imperij molem ad exactæ eius prudentiæ normam componi, & Regalium viorem Fasculum, Ipsamq; adeo Regum quieti delectam VARSAVIENSEM Arcem, fidei ILLVSTRISSIMI CASTELLANI credi voluerit: Perennat in Corde SERENISSIMI REGIS dulcis WIELOPOLSCIANORVM OFFICIORVM sensus, tot constantiæ experimentis constantem amorem emercatus; Hæret infrausta periculis, intacta hostilibus donis Virtus, eodem obsequentis animi tenore, per lata & aspera MAIESTATEM comitata, Vnde nusquam securius FASCES suos Florentemq; MANIPULVM deponi posse sperauit, quam in eius sinu, qui Gentilitum PEGASVM sicut repetendo REGNO aptauit, ita adeundæ quoq; libens commodat & aurigatur PERENNITATI. Accedis ad Paternæ normam Virtutis, & fastigium Gloriæ ILLVSTRISSIME DAPIFER REGNI Neosponse, à primis statim annis in Paternæ Mentis simulachrum nativo impetu compitus, & illo duntaxat Iove Parente, minor Hercules. Idem Tibi animi Vigor, ad excelsa & ardua suetō iam Heroibus tractu, per ipsam rerum difficultatem assurgere; Idem luuentutis Tuæ Circus & stadium, WIELOPOLSCIANO SONIPEDI IAM DIU

interci-  
citas in-  
Regnum  
omnium  
exceptus  
uali re-  
entes ad  
rvs Po-  
ta SVE-  
REGAT  
TELLAT  
tiâ tra-  
acriori-  
si MA-  
um IL-  
lia illius  
Impe-  
com-  
eo Re-  
r, fidei  
Peren-  
WIELO-  
stantiæ  
eret in-  
eodem  
IESTA-  
s suos  
quam  
repe-  
com-  
ad Pa-  
ILLV-  
primis  
natiuo  
rente,  
excel-  
ipsam  
Tuæ  
IPEDI  
am diu  
ian diu tritum, per fidem & obsequia Maiestatis, per cù-  
ram & negotia Reipub: in Præsentium Gloriam, Fu-  
turum ætatum memoriam eniti. Adhuc primo æta-  
tis pubescebas flore, & iam Magnæ Satelles Fainæ,  
Orbem circumibas, dubito noscendus ne magis an no-  
scere cupiens? qui mirâ reciprocatione, in ijsdem na-  
tionibus, è quibus futuræ alimenta legebas prudentiæ,  
Vestigia eiusdem ac testatissimæ Virtutis exempla relin-  
queres. Delatus deinde ad Patriæ gremium, contra-  
rio illis more, quorum Annos sege otium sepelit,  
& præcipites Iuuentutis igniculos, luxus extinguit, Vi-  
uaci studio in publicas curas incubuisti; eo videlicet mo-  
do absentiam TVA MQUA per exteris inclytus gloriæ  
Propola ferebaris diutius gentes, tædenti Patriæ per  
commoda eiusdem pensaturus. Ita mox erectis ad No-  
minis Virtutisq; TVÆ Famam cunctis, dignus visus es,  
qui supremam consiliorum publicorum VRNAM, factus  
Generalium Comitiorum MARISCHALCVS, arbitrâ  
manu versares, & Totius Regni sortes summo calculo  
signares. Non hic iam laus TVA ILLVSTRISSIME  
DAPIFER à priuatis petenda calamis, quam ipsius  
SARMATICÆ AQLVÆ pennæ, in maximâ Regni  
conuulsione saluatæ, Vulgant ac efferunt: non ex um-  
bratilis, inq; suæ duntaxat solitudinis solatia vocalis  
suadæ Censu, æstimanda venit PRUDENTIÆ TVÆ Felici-  
tas, quæ publico præconio Nostras ac Exteras Prouinci-  
as percurrit. Sensit Respub: Dexteritatis TVÆ emo-  
lumenta, quæ náfragantem pæne in turbido illo Milita-  
ris licentiaæ æstu, salutis suæ Nauim, TE Nauarcho  
& Consiliorum Præside, innoxio tractu ad  
portum appulit: Sensit disceptum miserè Regni huius  
Corpus, quod è tantâ dissidentium inter se Ordinum  
luctâ, velut pugnantibus de vitâ Elementis, ad debitam  
se se tandem temperiem, & qualitatum symmetriam, TE  
Æsculapio medente reduxit. Fuerit sane quondam Fa-  
tale Nomen Equus Seianus, possessoribus eiusdem omni-  
bus tristi exitu consumptis; non mirum calamitates &  
fata consecuta animal, quod ab Equis Atrociis Diome-  
dis humano cruore pastis, (teste Gellio) Originem tra-  
hens,

hens, fata hominum quibus innutritum est ac creuit,  
ad Dominos etiam transtulerit: Fortunatus certè PA-  
TRIÆ NOSTRÆ WIELOPOLSCIORVM EQVVS est, qui  
mitissimo genio, extra tabum & sanguinem, non iniuri-  
is cuiusquam saginari, verùm ad priuatos & publicos  
vsus, opportunissimâ sui dispensatione fleti & porrigi-  
nouit. Respiciunt ad illum intenta omnium studia,  
& quemadmodum felicitatis suæ signa ab illo sidere pe-  
tunt, ita communis propriæque spei sarcinas, felici cre-  
dulitate in hunc baiulum transponunt. Germanis nul-  
lum olim Diuinandi genus sanctius fuisse, auctor est Ta-  
citus, quām quod ex cursu, motu, specie & voce Equo-  
rum, quos sacros gregatim alebant, conquirerent; Ger-  
